Cumque pater eius in fascibus constitutus quamvis illustrissimam puellam se obtinere posse confideret. Interrogavit igitur amicos et primos suos quis esset sponsus agnetis, de cuius illa potestate confideret. Extitit quidam de parentibus eius qui diceret eam christianam esse ab infantia sua, et magicis artibus ita occupatam, ut dicat christum sponsum suum esse. R. Omnipotens adorande colende tremende benedico te quia per filium tuum unigenitum evasi minas hominum impiorum et spurcitias diaboli impolluto calle transivi. V. Te confiteor labiis te corde te totis visceribus concupisco. Et spurcitias. L. V.

Audiens hec symphronius prefectus letus efficitur, et missa apparitione sua etiam tribunalibus [pre]sentari precepit. Primum blandis sermonibus illectatur, deinde terroribus pulsatur. Sed virgo christi nec blandimentis seducitur, nec minis terretur, sed eodem vultu eodemque animo persistens et terrentem et blandientem animo casto deridebat. Videns itaque symphronius prefectus tantam in puella constantiam dixit ad eam. Deo sacrifica dee [illegible] aut ad confusionem generis tui eris publice [illegible] scortorum [illegible]. Beata agnes respondit. Si scires quis esset meus [illegible] non ista ex ore tuo proferres [illegible] unde quia ego [illegible] [illegible] dei. secura contempno minas tuas credens quod

neque sacrificem ydolis tuis, neque polluar sordibus alienis. R. Ipsi sum desponsata cui angeli serviunt cuius pulchritudinem sol et luna mirantur ipsi soli servo fidem ipsi me tota devotione committo. V. Propter veritatem et mansuetudinem et iusticiam. Ipsi. Lectio VI.

Symphronius dixit. Consuetum esse volui infantie tue, et adhuc te vanitas nescio cuius religionis abducit ut me cogas aliquid tamen de supplicii acerbitate disponere. Iam tamen observa ne iram deorum [illegible] incurras. Beata agnes dixit. Deos quorum motibus me incurrere non vis, ipsi michi hoc iubeant. ipsi precipiant adorari. Quam ad hoc te video tendere quod impetrare non poteris. quicquid tibi videtur exerce. Tunc symphronius iussit eam expoliari et nudam per medios populos sub voce preconia ad lupanar cellam duci. Cumque ei vestimenta fuissent ablata, crines eius resoluti sunt. Tantam vero densitatem capillis eius et gratiam divina pietas concessit ut melius eorum fimbriis tecta fuisset quam vestibus. R. Induit me dominus vestimento salutis et indumento leticie et circumdedit me et tamquam sponsam decoravit me corona. V. Tradidit auribus meis inestimabiles margaritas et circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Et tamquam.

Cuius pulchritudinem sol et luna mirantur ipsi soli servo fidem. Evovae. Cantate domino.